

1353

*Genuenses
ira perciti
libertatem
abjiciunt.*

do languida & enervis jaceret. Verum potuisse se, qui sæpius vicissent, tum demum a potentissimo hoste vinci, atque ob id ipsum suas opes perditum iri. Sed quamvis omnia cum ipsa fortuna concidissent, odium tamen suum in Venetos non modo non remissum dicere, sed in adversa fortuna quodammodo recruidisse. Malle itaque se antiquam libertatem in discrimen conjicere, quam viribus inimicissimi populi cedere. Acciperet proinde (quod ei bonum foelixque esset) Genuam urbem, cives, agrum, mare, littus, oppida, opesque suas publicas & privatas: postremo omnia divina & humana, quæ Genuensis populi jussu in ejus fidem & potestatem libere traderent: Ipse vero suam Genuam, cives, & omnia quæ illorum essent, præsentī ope tueretur: & quos semel in fidem accepisset, ab armis & injuria Venetorum, suo præsidio defensos vellet: pergeretque volens deinceps facere, ut omnes intelligerent, non frustra Genuenses suum quandoque auxilium, suam fidem implorasse. Non possum non mirari, ac quodammodo non ægre ferre, potentissimum post Venetos Italiæ populum, rei maritimæ gloria & virtute excellentem, tam turpiter, ne stulte dicam, libertatem tanta indole ad id tempus defensam, subita, aut certe nimis celeri desperatione amisisse. Sed ita profecto est, ut Stoici ajunt, cæteros affectus hominis mentem trahere, solam iram præcipitare. Verum Genuenses tunc suo odio & ira amantes: Vicecomes autem deditionem, ut erat facta, libens accepit. Mox legatos benigne affatus, jubet eos bono animo esse: studio curaturum se, curaturos & alios, ut Vicecomitum fortuna incolumi, nunquam Genuenses præsentis consilii pœniteret. Irent, eamque spem secum ferrent, præsidium ejus familiæ, cujus fidem ultro implorassent, ad omnem externam injuriam propulsandam nunquam sibi defuturum. Atque cum his legati dimissi. Ejus rei fama Venetias perlata (quia magnum apparebat cum Vicecomite instare ob Genuenses certamen) continuo Veneti & ipsi suas circa continen-